

taceant audientes lectionem : si autem aliquid opus fuerit, Præpositus eorum sit sollicitus. Sabbato et Dominica, sicut consuetudo est¹, qui volunt vinum accipiant. Si opus fuerit ad aliquam necessitatem monasterii mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet neque bibat; non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii. Si opera monasterii mittantur fratres vendere, sollicite observent ne quid faciant contra præceptum, scientes quia Deum exacerbant in servis ipsius: sive aliquid emant ad necessitatem monasterii, sollicite et fideliter ut servi Dei agant. Otiosum verbum apud eos non sit. A mane

¹ Ms. Corbeiensis, *constitutum est.*

ad opera sua sedeant: post orationem tertie eant similiter ad opera sua. Non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro utilitate animæ: sed sedentes ad opera taceant, nisi forte necessitas operis exegerit ut loquatur quis. Si quis autem non omni virtute, adjuvante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit; semel atque iterum commonitus, si non emendaverit, sciat se subjacere disciplinæ monasterii sicut oportet: si autem talis fuerit ætas ipsius, etiam vapulet. Hæc autem in nomine Christi fideliter et pie observantes, et vos proficietis, et nobis non parva erit lætitia de vestra salute. Amen. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti. Primo etc.

ADMONITIO DE SEQUENTI LIBRO.

Augustini non esse hunc librum cum ex aliis multis argumentis, tum ex eo liquet, quod B. Benedicti regula in 14, et 19 capite laudatur. Esse B. Aelredi Rhiëvallensis in Anglia abbatis, qui nimirum medio sæculo duodecimo scribebat, certo se scire ait Lucas Holstenius in codice Regularum, parte secunda. Et revera in indice operum S. Aelredi, centuria 2 Scriptorum Britannicæ, n. 99, recensetur sub hoc titulo: *De Institutione inclusarum lib. 1. Jam pluribus annis exigis a me.* Habes ejusdemmet libri partem circiter tertiam inter opera S. Anselmi nomine vulgata, scilicet Meditationes xv, xvi, et xvii.

DE VITA EREMITICA, AD SOROREM LIBER.

PROLOGUS. — Jam pluribus annis exigis a me, soror, ut secundum modum vivendi quem arripuisti pro Christo, certam tibi formulam tradam, ad quam et mores tuos dirigere, et vitam religionis, et vitæ religiosæ possis exercitia ordinare. Utinam a sapientiore id peteres et impetrares, qui non conjectura qualibet, sed experientia didicisset, quod alios doceret. Ego certe qui carne et spiritu tibi frater sum, quoniam negare non possum, quidquid injungis; faciam quæ hortaris, et ex diversis Patrum institutis aliqua quæ tibi videntur necessaria excerpens, ad componendum exterioris hominis statum certam tibi regulam tradere curabo, pro loco et tempore quædam adjiciens; et spiritualia corporalibus, ubi utile visum fuerit, interserens. CAPUT PRIMUM. — *Ut instituta est eremitica vita.*

Primum oportet te scire, qua causa, quave ratione vita hæc ab antiquis vel instituta sit vel usurpata. Sunt quidam quibus inter multos vivere perniciosum est. Sunt et alii quibus etsi perniciosum non est, tamen dispendiosum est. Sunt et nonnulli quibus et nihil horum timendum est; sed potius habitare magis æstimant fructuosum. Itaque antiqui vel ut vitarent periculum, vel ne paterentur dispendium, vel ut liberius ad Christi anhelarent et suspirarent amplexum, singulariter vivere elegerunt. Hinc est, quod plures in eremo soli sedebant vitam manuum suarum opere sustentantes. Illi vero qui nec hoc securum sibi inter solitudinis libertatem, et vagandi potestatem arbitrabantur, includi potius, et intra cellulam obstruso exitu contineri tutius æstimabant.

CAPUT II. — *Reclusio corporis solius nihil prodest.*

Quid tibi visum fuit, cum te huic institutioni voveres? Nam multi rationem hujus ordinis vel ignorantes, vel non curantes, membra tantum intra parietes cohibere satis putant esse: cum mens non solum per vagationem dissolvatur, curis et sollicitudinibus dissipetur, immundis etiam et illicitis desideriis agitur; sed etiam lingua tota die per vicos et civitates, per foros et nundinas otiose discurrant.

CAPUT III. — *Reclusarum cum externis mulieribus confabulationes.*

Vix aliquam inclusarum hujus temporis solam invenies, ante cujus fenestram non anus garrula vel nugigerula mulier sedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus aut detractionibus pascat, illius vel illius *monachi vel clerici* vel alterius cujuslibet ordinis viri *m, vultum moresque* describat. Illecebrosa

quoque interserat, puellarum lasciviam, viduarum, quibus licet quidquid libet, libertatem, conjugum in viris fallendis explendisque voluptatibus astutiam depingat. Os interea in risu cachinnosque dissolvitur, et venenum cum suavitate bibitum per viscera membræ diffunditur.

CAPUT IV. — *Ex confabulatione cum externis mulieribus quæ perniciosa.*

Sic cum discedere ab invicem hora compulerit, inclusa voluptatibus, anus cibariis onerata recedet. Reddita quieti misera eas quas auditus induxerat, in corde versat imagines: et ignem præmissa confabulatione conceptum vehementius sua cogitatione succendit; quasi ebrius in psalmo titubat, in lectione cadit, fluctat in oratione. Refusa mundi luce citantur mulierculæ addentes nova veteribus, non cessant, donec captivam liberius dæmonibus illudendam exponant. Nam manifestior sermo non jam de accendenda, sed potius de satianda voluptate procedens: ubi et quando et per quem possit explere quod cogitat, in commune exponunt. Cella vertitur in prostibulum, et delicato qualibet arte foramine, aut illa egreditur, aut adulter ingreditur. Infelicitas hæc, ut sæpe probatur, pluribus causa viris in hoc nostro sæculo communis est.

CAPUT V. — *Reclusarum quarundam avaritia.*

Sunt aliæ quæ, licet turpia declinent, loquaces, tamen loquacibus assidue sociantur, nimium curiositati linguam et laures tota die otio rumoribusque dedentes. Aliæ non multum ista curantes (quod fere vitium per omnes hujus temporis serpit inclusas), pecuniæ congregandæ vel multiplicandis pecoribus inhiant: tantaque cum hac sollicitudine in his extenduntur, ut eas matres vel dominas familiarum existimes, non anachoretas. Quærent aliquibus pascua, pastores, qui procurent, qui custodiant greges; fructus vel pretium vel pondus, vel numerum a custodibus expetunt. Sequitur emptio et venditio, ut nummas nuquam cumulum exigat, et avaritiæ sitim accendat. Fallit enim tales spiritus nequam, pro impertiendis eleemosymis vel orphanis alendis, pro advenientium parentum vel amicorum charitate, et religiosarum feminarum susceptione, hoc utile esse ac necessarium suadentes. Non est hoc tuum, ad quam magis pertinet, ut pauper cum pauperibus stipem accipias, quam relictis omnibus tuis pro Christo aliena quærere; ut eroges. Magnæ infidelitatis signum est, si

inclusa de crastino sit sollicita, cum Dominus dicat: *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. vi, 33). Quapropter providendum est ut mens omni rerum temporalium cura exuatur, et exoneretur sollicitudine.

CAPUT VI. — *Reclusa ne pauperum aut hospitem prætextu facultates habere velit: utatur ancilla probata: non puellas doceat.*

Quod ut fiat, videat inclusa; ut si fieri potest, de labore manuum suarum vivat. Hoc enim perfectum est. Si autem aut infirmitas aut teneritudo non permittat; antequam includatur, certas personas quærat, a quibus singulis diebus quod uni diei sufficiat, humiliter recipiat, nec causa pauperum vel hospitem quidquam adjiciat. Non circa cellulam ejus pauperes clament, non orphani plorent, non vidua lamentetur. Sed quis, inquit, hoc poterit prohibere? Tu sede, tu tace, tu sustine. Mox ut scient te nihil habere, seque nihil recepturos, vel fatigati discedent. Inhumanum hoc clames. Cæterum si præter necessarium victum et vestitum aliquid habes, monacha non es. Quid ergo erogabis? præcipitur tamen inclusæ, ut quidquid de labore manuum suarum victui superfuit, mittat cuidam fidei, qui pauperibus eroget. Nolo ut insidiatrix pudicitie vetula mixta pauperibus accedat propius, deferat ab aliquo monachorum vel clericorum eulogias; non blanda verba in aure susurret, ne pro accepta eleemosyna osculans manum in aure insibilet. Cavendum præterea est, ut nec ob susceptionem religiosarum feminarum, quodlibet hospitalitatis onus inclusa suscipiat. Nam inter bonas plerumque etiam pessimæ veniunt, quæ ante inclusæ fenestram discumbentes præmissis valde paucis de religiosis sermonibus ad sæcularia devolvuntur, inde subtexere amatoria, et noctem fere totam insomnem ducere. Sane tu tale devita, ne cogaris audire, quod videre horreas. Forte enim videbuntur amara, cum audiuntur, vel cernuntur; quæ sequuntur, dulcia, cum cogitantur. Si scandalum times, eo quod nec pauperibus erogas, non suscipis hospites; cum omnes tuam nuditatem didicerint, non erit qui reprehendat. Si vero nec pro pauperibus, nec pro hospitem te velim pecuniosam esse; multo utique minus occasione grandioris familiæ. Itaque eligatur tibi aliqua anus, non garrula, non vaga, non litigiosa, non nugigerula; sed quæ bonos mores excoluerit, et ab omnibus habuerit testimonium veritatis. Hæc ostium cellulæ custodiat, et quod debuerit, vel admittat, vel conservet. Habeat sub cura sua fortiorem ad onera sustinenda, puellam quæ aquam et ligna comportet, coquat fabas, aut olera; aut si hoc infirmitas exegerit, præparet potiora. Hæc sub virgæ disciplina custodiatur, ne forte ejus lascivia tuum sanctum habitaculum polluat, propositum blasphemetur. Pueris et puellis nullum ad te concedas accessum. Sunt quædam inclusæ, quæ in docendis puellis occupantur, et cellam suam vertunt in scholam. Illa sedet ad fenestram, ista in porticu residet. Illa intuetur singulas, et inter puellares motus nunc irascitur, nunc ridet, nunc minatur, nunc percutit, nunc blanditur, nunc osculatur, nunc flentem vocat pro verbere propius, palpat faciem, stringit collum, et in amplexum ruens nunc filiam vocat, nunc amicam. Qualiter inter hæc memoria Dei, nisi sæcularia et carnalia, etsi non perficiantur, moventur, tamen, et quasi sub oculis depinguntur? Tibi utique duæ illæ sufficiant ad colloquium et ad obsequium.

CAPUT VII. — *Studeat silentio, et raro modestè loquatur.*

Silentii gravitatem inclusæ servandam præcipue suademus. Est enim in ea quies magna et fructus multus. Nam cultus justitiæ silentium. Sicut ait Jeremias, *Bonum est cum silentio expectare salutare Dei.* Et iterum, *Bonum est viro cum portaverit jugum* (Thren. iii, 26, 27): ut sedeat solus et taceat. Unde scriptum est: *Audi, Israel, et tace.* Fac ergo quod ait propheta, *Dixi, custodiam vias: ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (Psal. xxxviii,

1, 2). Sic inclusa timens casum linguæ, quam secundum apostolum Jacobum nemo hominum domare potest (Jacobi iii, 8), ponat custodiam ori suo, sola sedeat, et taceat ore; spiritu loquatur: et credat se non esse solam, quando sola est. Tunc enim cum Christo est qui non dignatur in turbis esse cum ea. Sedeat ergo sola, taceat Christum audiens, et cum Christo loquens, ponat custodiam ori suo. Primum, ut raro loquatur; deinde quid loquatur, quibus, et quomodo loquatur, attendat. Raro loquatur, id est certis et constitutis horis, de quibus postea dicemus. Quibus¹ loquatur, id est certis personis, et quales ei fuerint designatæ. Quomodo loquatur, id est, humiliter, moderate, non alta voce, nec dura, nec blanda, nec mixta risu. Nam si hoc ad quemlibet virum honestum non pertinet, quanto magis ad feminam? quanto magis ad virginem? quanto magis ad inclusam? Sede ergo, soror mea, et tace. Si compelleris loqui, parum loquere, humiliter et modeste: sive de corporalium rerum necessitate, sive de animæ salute sermo incuberit.

CAPUT VIII. — *Quibuscum personis loqui decet reclusam.*

Jam nunc personas quibus loqui debet, designemus. Felix illa quæ nec maritum admisit, nullum virorum videre volens, nec alloqui. Sed quæ nunc reclusarum hoc sequitur exemplum? Sufficiunt illis quæ modo sunt, si hanc corporalem castitatem conservent, si non onusto ventre non extrahantur, si non fletus infamis partum ediderit. Quibus perpetuum, ne cum viris loquantur, incidere non possumus silentium, cum quibus honestius loqui possint, videamus. Ergo si fieri potest, provideatur in magno monasterio vel ecclesia presbyter aliquis senex, maturus moribus, cui raro, nisi de confessione et animæ ædificatione loquatur, a quo consilium accipiat in dubiis, in tribulationibus consolationem. Verum quia inclusum membrum malum illud, quod timemus, plerumque suscitatur, et emollit emortuam senectutem, nec ipsi manum suam tangendam præbeat vel palpandam. Nulla vobis de macie vultus, de exilitate brachiorum, de cutis asperitate sit cura.

CAPUT IX. — *Scribit vivendi formam reclusis rogatus a sorore.*

Hæc tibi, soror (gratias Deo), dicenda non fuerant: sed quia nec solum propter te, sed etiam propter adolescentiores, quæ similem vitam tuo consilio arripere gestiunt, hanc tibi formulam tradi voluisti, hæc interserenda putavi, si aliqua magni nominis vel bonæ æstimationis persona, abbas scilicet, vel prior cum inclusa loqui voluerit, aliquo præsentem loquatur.

CAPUT X. — *De colloquio cum variis personis. Quid hac in re observandum a reclusa.*

Nullam certe personam te frequentius visitare vellem, nec cum aliqua te crebrius visitante, familiare vellem tecum habere secretum. Periclitatur enim fama virginis crebra certe alicujus personæ salutatione, periclitatur et conscientia. Nam quanto sæpius eundem videris vultum, vel vocem audieris, tanto expressius ejus imago tuæ memoriæ imprimetur. Et ideo inclusa etiam facie velata loqui debet cum viro, et ejus cavere conspectum, cui cum timore solum debet præstare auditum. Nam eandem viri vocem sæpe admittere, quibusdam periculosum esse non dubito. Adolescentium et suspectarum personarum devita colloquium; nec unquam tecum, nisi tu audientiam illius, qui tibi proprie loquatur; et hoc si certa necessitas poposcerit. Cum nullo itaque advenientium, præter episcopum, aut abbatem, vel magni nominis priorem, sine ipsius presbyteri licentia vel præcepto loquaris, ut difficultas loquendi tecum, tibi præstet quietem. Nunquam inter te et quemlibet virum quasi occasione exhibendæ charitatis, vel nutriendi affectus,

¹ Lov. uti PP. Benedictini ferunt, *Quid*. Hic est absque dubio lacuna; auctor enim omnes enumerationis prænuntiæ partes, scilicet *quid, quibus et quomodo*, non explanatione complectitur, sed unum negligit, scilicet *quid*.

vel expetendæ familiaritatis aut amicitie spiritualis, discurrant nuntii: nec eorum munuscula litterasque suscipias, nec illis tua dirigas, prout moris est, puta zonas, marsupia, quæ diverso stamine et subtegmine variata sunt, et cætera quæ hujusmodi adolescentioribus monachi per clericos mittunt, quod fomentum est amoris illiciti, et magni materia mali.

CAPUT XI. — *Operetur manibus, ornatur verecundia.*

Operare proinde ea, quæ vel necessitas poscit, vel præscribit utilitas, et eorum pretium tuis usibus cedat, quibus si non egueris, aut necessaria ecclesie, aut pauperibus, sicut diximus, tribuas. Ornet etiam omnes motus, omnes sermones inclusæ, verecundia, quæ linguam compescat, iram mitiget, jurgia caveat. Quam enim pudere decet honeste honesta loqui; quantæ impudentiæ est, ut inhonesta, licet lacessita injuriis aut stimulata furore, loquatur?

CAPUT XII. — *Reclusa verbis lacessita ut se gerere debet.*

Inclusa igitur litiganti non respondeat, detrahenti non impropere, lacessenti non contradicat: sed in omnibus quæ in publico, vel in occulto aut obijciuntur, aut susurrantur, ex conscientie serenioris arce contemnat, dicens cum Apostolo, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer* (1 Cor. iv, 3). Super omnia enim inclusa studere debet, ut tranquillitatem spiritus, et pacem cordis jugiter retinens, illum sui pectoris æternum habeat inhabitatorem, de quo scriptum est, *In pace factus est locus ejus* (Psal. LXXV, 3). Et alias Dominus per prophetam, *Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et timentem sermones meos* (Isai, LXVI, 2)? Hunc sacratissimum mentis statum, non solum stultiloquia evertunt, sed et pervertunt. Nihil tam esse tibi censeo sectandum, quam silentium.

CAPUT XIII. — *De tempore loquendi et tacendi.*

Jam nunc tempus loquendi, ac tacendi tempus distinguamus. Igitur ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Quadragesimam, post completorium usque ad auroram silentium teneat: et tunc dicta prima, si aliud de diurna necessitate voluerit suggerere servienti, paucis hoc faciat verbis; nihil cuiquam postea usque ad tertiam loquatur. Inter tertiam vero et nonam, his qui supervenerint, prius si admittendi sunt, competenter respondeat, et ministris, quod placuerit, injungat. Post nonam sumpto cibo omne colloquium et dissolutionis materiam caveat, ne impingatur ei illud, quod scriptum est: *Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere* (Exod. XXXII, 6). Porro vespertina laude soluta, cum ministra usque ad tempus collationis de necessariis conferat. Tempore vero Quadragesimæ inclusa semper silentium tenere deberet: sed quia hoc durum impossibileque putatur, cum confessore suo et ministra, rarius quam aliis temporibus, loquatur; et cum nullo alio, nisi forte aliqua reverenda persona ex aliis provinciis supervenerit. Post Pascha vero usque ad tempus prædictum, a completorio usque ad solis ortum silentio custodito, cum horam primam in diurnis obsequiis celebraverit, cum ministris suis loquatur si oportuerit; cum supervenientibus, inter nonam et vesperam. Finita hora vesperarum, disponat cum ministris quod opus fuerit usque ad collationem.

CAPUT XIV. — *Quibus exercitiis vacandum a calendis novemb. ad Quadragesimam.*

His inspectis, operi manuum, lectioni et orationi certa tempora deputentur. Otiositas quippe inimica est animæ, quam præ omnibus cavere debet inclusa. Est enim omnium malorum parens, libidinis artifex, pervagationum alitrix, nutrix vitiorum, fomentum acedia, tristitiæ incentivum. Ipsa pessimas cogitationes seminat, affectiones illicitas quærit, suscitatur desideria. Ipsa quietis fastidium parit, horrorem inculcit cellæ. Nunquam te improvidam, nunquam te spiritus inveniat otiosam. Sed quia mens nostra, quæ in hac vita subdita est vanitati, nunquam in eodem statu permanet; otiositas exercitiorum varietate fuganda est, et

quies nostra quadam operum vicissitudine fulcienda. Itaque a calendis novembris usque ad Quadragesimam, secundum æstimationem suam, plus media nocte repauset: et sic surgens cum qua potest devotione, secundum formam Regulæ beati Benedicti, nocturnas vigiliis celebret, quibus mox succedat oratio: secundum quod eam Spiritus sanctus adjuverit, aut protelare debet aut abbreviare. Caveat autem ne prolixior oratio fastidium pariat. Utilius est enim sæpius orare breviter, quam semel nimis prolixè: nisi forte orationi devotio inspirata ipso nesciente, qui orat, prolongaverit. Post orationem in honorem Virginis debitum solvat officium, sanctorum commemorationes adjiciens. Cave autem ne de numero Psalmorum, vel commemoratione, aliquam tibi legem imponas; sed quamdiu te Psalmi delectant, utere illis. Si tibi cæperint esse onerosi, transi ad lectionem: quæ si fastidium ingerit, surge ad orationem: sic ad opus manuum, his fatigata, pertransiens, ut salubri alternatione spiritum recrees, et pellas acediam. Finitis commemorationibus quarum numerum non propositioni, vel voci necessitas extorqueat, sed inspirans devotio dictat; tempus quod restat usque ad auroram, operi manuum cum psalmodum modulatione deserviat. Albescente aurora matutinas laudes cum horæ primæ orationum hymnis persolvat: et sic in alternatione lectionum, Psalmorum quoque prout ea devotio variaverit, tertiam expectet, qua dicta in opere manuum usque ad horam nonam occupetur. Cibo autem sumpto et gratiarum actionibus Deo solutis, ad præscriptam mansuetudinem redeat spiritualibus exercitiis opus corporale intermittens usque ad vespere. Facto autem parvo intervallo aliquam lectionem de Vitis Patrum vel institutis vel miraculis eorum sibi secretius legat: ut orta ex his aliqua compunctio, in quodam fervore spiritus completorium dicat; ut cum pleno pectore devotionis lectulo membra componat: illa sane quæ litteras non intelligit, operi manuum diligentius insistat. Ita ut cum paulatim fuerit fatigata, surgat et genua flectat, et breviter oret Dominum suum, et statim opus, quod intermiserat, resumat: et hoc faciat tempore scilicet utroque lectionis et laboris, Dominicam orationem crebrius inter opera eadem repetens: et si quos psalmos voluerit, interserens.

CAPUT XV. — *De exercitiis a Pascha ad calendis novembris.*

A Pascha vero usque ad prædictas calendis sic surgat ad vigiliis, ut finitis nocturnis hymnis et orationibus, parvissimo intervallo præmisseo, matutinas incipiat. Quibus expletis usque ad plenum solis ortum orationibus vacet et psalmis, et tunc dicta prima sacrificium diurni operis inchoet, usque ad horam tertiam: in lectione et oratione usque ad sextam spiritum occupet. Post sextam sumpto cibo, pauset in lectulo suo usque ad nonam: et sic usque ad vesperam manibus operetur. Post vesperam vero orationibus vacet et psalmis, horam collationis ita temperans, ut ante solis occasum lectulus membra recipiat. Cavendum enim est omni tempore ne totam diei lucem nox, attequam dormitum eat, suis obducatur tenebris, et dormire cogatur cum vigilare debet.

CAPUT XVI. — *De quadragesimali jejuniis.*

De tempore quadragesimali locuturi, primo excellentiam ejus credimus commendandam. Cum multa sunt Christianorum jejunia, omnibus excellit quadragesimale jejunium, quod divina auctoritate non singulis quibuscumque personis, non illius vel illius ordinis hominibus, sed omnibus indicitur Christianis. Habet autem testimonium excellentiæ a Lege, a Prophetis et ab Evangelio. Nam Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut legem Domini accipere mereretur. Helias autem propheta cum manducasset de pane subcinericio, aquamque bibisset, quam angelus ei ministraverat; jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et vocem Domini audire promeruit. Dominus et Salvator

noster cum jejunavit quadraginta diebus et gradraginta noctibus, superavit tentatorem, et accesserunt Angeli et ministrabant ei.

CAPUT XVII. — *Persequitur de virtute jejunii.*

Est ergo jejunium contra omnia tentamenta et peccabilem statum. In omni tribulatione utile refugium, omnibus nostris irrefragabile fulcimentum. Quantæ autem virtutis sit jejunium ipse Christus non tacuit, cur dæmonem qui lunaticum invaserat, ejicere non potuerunt. *Hoc genus, inquit, dæmoniorum non potest ejici, nisi in oratione et jejunio (Marc. ix, 28).*

CAPUT XVIII. — *De significatione Quadragesimæ.*

Licet autem religionis comes semper debeat esse jejunium, sine quo castitas tuta esse non potest; hæc tamen quadragesimalis observatio magnum in se continet sacramentum. Primus locus habitationis nostræ paradus fuit. Secundus mundus iste plenus ærumnis. Tertius in cælo cum Angelis et Spiritibus. Significant autem isti quadraginta dies totum tempus, ex quo pulsus est Adam de paradiso usque ad ultimum diem, in quo plene liberabuntur ab hoc exilio. Hic autem sumus in timore, in labore, in dolore, projecti a facie oculorum Dei, exclusi a gaudiis paradisi, jejuni ab alimento cælesti: semper autem debemus hanc miseriam nostram considerare, et deplorare, et ostendere in operibus nostris quod sumus advenæ et peregrini in mundo. Sed quia hoc facile non potest humana fragilitas, constituit Spiritus sanctus tertium tempus, quo id faciamus, et quasdam observationes in Ecclesia fieri ordinavit, quibus ipsius temporis causam animadvertere valeamus. Nam ubi ostendit nos pulsos esse, adjectos morti propter verbum quod dixit Dominus ad Adam, cum eum expelleret de paradiso; cum cinerum aspersione dicitur nobis, *Pulvis es, et in pulverem reverteris (Gen. iii, 19)*. Ut sciamus etiam, quod in hoc exilio negatur nobis visio Dei, appenditur velum inter nos et santa sanctorum. Verum ut reducamus ad memoriam, quod longe sumus ab eorum societate de quibus scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te (Psal. lxxxiii, 5)*; usitatum verbum laudis intermittimus. Quod vero nos ipso hoc altiori jejunio constringimur, recordari nos facit, quod in hac vita cælesti pane non satiamur. In hoc ergo tempore omnis christianus aliquid addere dicitur solitis obsequiis, et diligentius atque frequentius circa cordis et oris custodiam occupari. Sed inclusa maxime institutionis temporis hujus rationem multo melius intelligit, quanto eam in propria vita sua expressius recognoscit. In his proinde sacris orationibus quibus Christo placere præcipue desideramus, totam se Deo voveat atque sanctificet. Omnes delicias respuat, omnes confabulationes abjuret; et quasi dies nuptiarum hoc tempus existimans, ad amplexus Christi omni aviditate suspiret. Frequentius solito incumbat orationi, crebrius se pedibus Jesu prosternat, crebra nominis illius repetitione compunctionem excitet, lacrymas provocet, cor ab omni vagatione compescat. Finitis itaque sacris vigiliis intervallum, quod a nocturnis laudabilis dividit matutinas, orationi et meditationi observat. Dictaque post matutinas prima usque ad plenam tertiam psalmis ac lectionibus vacet. Tertiarum vero horarum laude completa, operi manuum usque ad horam nonam devota insistat, breves per intervalla orationes inserens: dicta post hoc vespera corpus reficiet, et sic tempus completorii psallens exspectet.

CAPUT XIX. — *De cibi et potus qualitate et quantitate.*

Jam de cibi et potus qualitate vel quantitate, ex abundanti quidem tibi legem imponere, soror, quæ ab ipsa infantia usque ad senectutem, quæ nunc tua membra debilitat, parcissimo cibo vix corpus sustentas: pro aliis cum quibus id utile futurum arbitrans, certam de his præscribere regulam tentabo. Beatus Benedictus libram panis et heminam potus concedit monacho: quod nos inclusis delicatioribus non negamus; adolescentibus tamen in corpore robustis, ab

omni quod inebriare potest, abstinere utilissimum est. Panem nitidum et cibos delicatos, quasi impudicitiae venenum evitet. Sic necessitati consulat, ut et famem repellat, et appetitum non satiet. Itaque quæ ad perfectiorem abstinentiam progredi non valent, libra panis et hemina lautioris potus contentæ sint: sive bis comedant, sive semel. Unum habeant de oleis vel leguminibus pulmentum, vel certe de farinaceis. Cui modicum olei, vel butyri vel lactis injiciens, hoc condimento fastidium repellat. Et hoc ei, si ea die cœnatura est, sufficiat. Ad cœnam vero parum lactis sibi vel piscis modicum, vel aliquid hujusmodi si præsto fuerit, apponat. Uno genere cibi contenta cum pomis et herbis crudibus, si quas habuerit, hæc ipsa si semel comederit in die, prælibato pulmento possunt apponi. In vigiliis sanctorum tamen et Quatuor Temporum jejuniis, omnium etiam feriarum quarta et sexta, extra Quinquagesimam in cibo quadragesimali jejuset. In Quadragesima vero unum quotidie ei sufficiat pulmentum. Et nisi infirmitas impediatur, feriæ sexta in pane et aqua jejuset. Ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Quadragesimam semel in die hora nona reficiat. In Quadragesima, dicta vespera, jejunium solvat. A Pascha usque ad Pentecosten ad sextam prandeat, et ad prandium silentium teneat: quod etiam tota æstate faciet, præter ferias quarta et sexta, et solemnibus jejuniis. Diebus autem quibus jejuset, liceat ei in æstate pro somno meridiano et inter matutinas et primam modicum quietis indulgere corpusculo.

CAPUT XX. — *De vestimentis et calceamentis.*

Porro talia ei vestimenta sufficiant quæ frigus repellant. Grossioribus pellicis utatur, et pellibus propter hiemem; propter æstatem autem unam habeat tunicam: utroque vero tempore duas de stupacio camisias vel staminas. Velamen capitis non sit de panno subtili vel pretioso, sed mediocri nigro: ne videatur colore vario affectare decorem. Calceamenta, pediles, caligas, quantum satis fuerit habeat. Et paupertatis suæ custos sollicitè consideret, ut etiam aliquantulum minus habeat quam indulgere sibi possit justa necessitas. Hæc, soror charissima, de exterioris hominis conversatione non pro antiquitatis fervore, sed pro hujus nostri temporis spatio te compellente conscripsi, infirmis temperatum quemdam modum vivendi proponens, fortioribus ad perfectiora prodiendi libertatem relinquens.

CAPUT XXI. — *Solitudo est hominum consortio præferenda propter conservationem virginitatis.*

Sed jam nunc audiat et intelligat verba mea, quæcumque abrenuntians mundo vitam hanc solitariam elegerit, abscondi desiderans, non videri, et quasi mortua sæculo in spelunca Christo consepeliri. Primum tibi solitudinem hominum debeas præferre consortio, diligenter attende. *Virgo, inquit Apostolus, cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore ac spiritu (I Cor. vii, 34)*. Voluntarium hoc sacrificium est, oblatio spontanea, ad quam non lex impellit. Sed necessitas cogit, non urget præceptum. Unde Dominus in Evangelio: *Qui potest capere, capiat (Matth. xix, 12)*. Quis potest? Ille certe cui Dominus hanc inspiraverit voluntatem et præstiterit facultatem. Primum igitur ut virgo, bonum propositum tuum ipsi qui inspiravit cum summa devotione cordis commenda, intentissima oratione deprecens, ut quod impossibile est per meritum, facile sentiat per gratiam. Cogita semper, quam pretiosum thesaurum in quam fragili vasculo portes, et quam mercedem, quam gloriam, quam coronam virginitas servata ministret. Quam insuper pœnam, quam confusionem, quam damnationem importet amissa, indesinenter animo revolve. Quid hoc pretiosius thesauro? quo cælum emitur, quo angelus delectatur, cujus ipse Christus cupidus est, quo illicitur ad amandum, et ad præstandum provocatur, quid? audeo dicere, se ipsum et omnia sua. Itaque nardus virginitatis tuæ etiam in cælestibus dans odorem suum, facit ut concupiscat rex decorem

tuum, et ipse est Dominus Deus tuus. Vide qualem tibi sponsum elegeris, qualem tibi amicum attuleris. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum. Speciosior etiam sole et super omnem stellarum pulchritudinem. Spiritus ejus super mel dulcis, et hæreditas ejus super mel et favum. Longitudo in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Ipse te jam elegit in sponsam. Sed non coronabit nisi probatam. Et dicit Scriptura: *Qui non est tentatus, non est probatus* (*Eccli. xxxiv, 9*). Virginitas aurum est, cella formæ, conflator diabolus, ignis tentatio, caro virginis vas luteum in quo aurum reconditur, nec vas ulterius a quolibet artifice reparatur.

CAPUT XXII. — Ut virginitatis propositum religiose custodiendum.

Hæc virgo jugiter cogitans pretiosissimum virginitatis thesaurum, qui tam utiliter possidetur, tam irrecuperabiliter amittitur, summa diligentia, summo cum timore custodiat. Cogitet sine intermissione ad cujus ordinatur thalamum, ad cujus præparatur amplexum proponat sibi agnum quem sequi habet, quocumque ierit. Contempletur beatissimam Mariam præcedentem choros virginum, et præcipientem dulce illud cum virginitatis tympano canticum, quod nemo potest canere nisi utriusque sexus virgines. De quibus scriptum est: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt* (*Apoc. xiv, 4*). Nec sic hoc dictum æstimes, quasi non vir sine muliere, aut mulier sine viro possit fœdari. Cum detestandum illud scelus, quo vir in virum, vel femina in feminam, omnibus flagitiis damnabilius judicetur. Sed et absque alienæ carnis consortio virginitas plerumque corrumpitur, castitas violatur. Si vehementior æstus carnem concutiens voluntatem sibi subdiderit, et rapuerit membra, cogitet virgo super omnia sua sanctificata Deo, incorrupta Christo, Spiritui sancto dedicata. Indignum judicet quod Christi est, tradere satanæ, et virginea ejus membra erubescat vel simplici motu maculari.

CAPUT XXIII. — Castitatis dispendium in mensa timendum, et in colloquiis.

Itaque proinde in virginitatis suæ custodiam totum animum tendat. Cogitationes expendat, ut virtutis hujus perfectionem esuriens, famem delicias putet, divitias paupertatem. In cibo, in potu, in somno, in sermone semper timeat dispendium castitatis, ne si plus debito carni reddiderit, vires præbeat adversario, et occulto nutriat hostem. Sedens igitur ad mensam decorem pudicitiae mente revolvat, et ad ejus perfectionem suspirans cibos fastidiat, potum exhorreat, etiam quod sumendum necessitas judicaverit, aut ratio dictaverit, cum dolore aut pudore, aliquando cum lacrymis sumat. Si ei sermo fuerit cum aliquo, semper metuat aliquid audire, quod vel modicum serenitatem castitatis obnubilet; deserendam se a gratia non dubitet, si vel unum verbum contra honestatem proferat.

CAPUT XXIV. — Ante somnum conscientia excutienda, et dolendum de peccatis.

Prostrata lectulo pudicitiam tuam commenda Deo, et sic signo crucis armata revolve animo quomodo die illo vixisti, si verbo, si opere, si affectu Domini tui oculos offendisti; si levior, si otiosior, si negligentior debito fuisti; si plus cibo crudior, potu dissolutior metas necessitatis excessisti. Si subreptum tibi aliquid horum deprehendis, suspira, pectus tunde; et hoc sacrificio vespertino tuo reconciliatam sponso sponsus excipiat.

CAPUT XXV. — In tentationibus impudicis recogitanda virginis Agnetis historia.

Si vigilantibus subito, aut quiete soporis, aut arte tentatoris calor corporis fuerit excitatus, et in somnum callidus hostis invexerit, diversisque cogitationibus quietem pudicitiae infestaverit, proposueritque delicias, vitæ durioris horrorem incusserit; veniat tibi in mentem beatæ virginis, quæ in tenera ætate tam crebro reportavit de impiissimo hoste triumphum. Co-

gita Agnem beatissimam a qua aurum, argentum, vestes pretiosissimæ, lapides pretiosi et tota sæcularis gloriæ pompa quasi quædam stercora sunt reputata. Vocata ad tribunal non abfuit; blandiebatur iudex, contempsit; minabatur, irrisit, magis metuens ne parceret quam ne puniret: fœdumque lupanar verit in oratorium: quod cum virgine ingrediens angelus lucem infudit tenebris, et insectatorem pudicitiae morte mulctabat. Si igitur et tu oraveris, et contra libidinis incentorem lacrymarum tuarum arma leveris, non certe angelus tuo casto deerit cubiculo, qui prostibulo non defuit. Merito beatam Agnem ignis iste materialis nequivit adurere, cui carnis flamma tepuerat, quam ignis succenderat charitatis. Quotiescumque nequam spiritus illicita quæque suggesserit, vehementior incubuerit æstus; illum qui scrutatur corda et renes, scito esse præsentem, et sub ejus oculos esse quidquid agis vel cogitas. Habe proinde reverentiam Domino, quem tibi assistere non dubites, et deprædatori responde: Angelum habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Adjovet constatum tuum in tali necessitate discreta abstinentia. Quia ubi multa carnis afflictio, aut nulla, aut parva aliqua potest esse delectatio.

CAPUT XXVI. — Castitas in juvenili ætate sine magna cordis et corporis attritione non stat integra.

Nemo se palpet, nemo blandiatur sibi, nemo se fallat. Nunquam ab adolescentibus sine magna cordis contritione et carnis afflictione castitas conquiritur, vel servatur, quæ plerumque ægris vel sensibus periclitatur. Nam licet continentia donum Dei sit, et nemo possit esse continens, nisi Deus det, nec ullis nostris meritis donum hoc, sed ejus gratuitæ sit gratiæ ascribendum; illos tamen tanto dono indignos judicat, qui aliquid laboris pro eo subire detrectant, volentes inter delicias casti esse, inter epulas continentes; inter pueros et puellas conversari, et non tentari; in comessationibus et ebrietatibus fœdis distendi humoribus, et non coinquinari; ligare visum suum cum flammis, et non exuri. Difficile hoc utrum aut impossibile, tu videris.

CAPUT XXVII. — De monacho stimulum carnis duris macerationibus vix comprimente, non penitus erigente.

Novi ego monachum, qui cum initio suæ conversionis, tam naturalibus incentivis, tam violentia vitiosæ consuetudinis, tam suggestionem callidi hostis tentaretur, ut pudicitiam suam periclitari timeret, erexit se contra se, et adversus suam carnem suavissimum concipiens odium nihil magis quam quod ad eam affectaret, expeteret. Itaque inedia macerabat corpus, et quæ ei dese debebantur subtrahens, etiam motus ejus simplices comprimebat. Sed cum iterum nimia debilitas sibi plus indulgere compelleret, ecce caro rursus caput erigens acquisitam, ut putabatur, infestabat quietem; plerisque se frigidis aquis injiciens, tremens aliquandiu psallebat et orabat. Sepe etiam illicitos sentiens motus urticis fricabat corpus, et nudæ carni aperiens incendium incendio superabat. Et cum hæc omnia non sufficerent, nihilominus eum spiritus fornicationis urgeret; tunc quod solum se perfuit, prostratus antepedes Jesu orat, plorat, suspirat, rogat, adjurat, obtestatur, ut aut occidat, vel sanet; clamat crebro, Non abibo, non quiesco, nec dimittam nisi benedixeris mihi: præstatum ad horam refrigerium, sed negatur securitas. Quiescentibus enim paululum carnis stimulis affectiones illicitæ pectus invadunt. Deus meus! quas cruces, quæ tormenta tuæ pertulit miser ille, donec tanta infusa est ei dilectio castitatis, ut omnes quæ sentiri possunt, vel cogitari, quasvis injiceret voluptates; et tunc quoque recessit ab eo. Sed usque ad tempus et nunc senectati morbus accessit, nec sic tamen se de securitate blanditur.

CAPUT XXVIII. — Contra senes qui concubinarum consortio carere nolunt.

Unde non parum pudet quorundam impudicitiam, qui cum in sordibus senuerunt, nec sic suspectam

personarum volunt carere consortio; cumque, quod dicta nefas est, eodem lectulo cubantes inter amplexus et oscula de sua castitate se dicunt esse securos, quos frigescente corpore ad cœlos tepescentia membra deficiant. Infelices isti et præ cunctis mortalibus miseri, quibus cum desit sceleris perpetrandi facultas, adhuc manet in ipsa sceditate facultas. Non quiescit turpe desiderium, quamvis ei frigiditas neget effectum. Videat tamen utrum verum dicat, aut mentiatur iniquitas sibi, et dum nititur velare unum, duplex in se prodat flagitium: cum et fere decrepitos nocturnum aliquando plasma deludat, et emortuam senectutem intestinum hoc malum sæpius inquietet.

CAPUT XXIX. — *Virgo semper pavidæ se ipsa muniat verbi Dei meditatione.*

Te, soror, nunquam volo esse securam; sed timere semperque tuam fragilitatem habere suspectam, ad instar pavidæ columbæ frequentare rivos aquarum, et quasi in speculo accipitris cernere supervolantis effigiem, et cavere. Rivi aquarum sententiæ sunt Scripturarum, quæ de limpidissimo sapientiæ fonte profluentes diabolicarum suggestionum produnt imaginem et sensum, quo caveantur, et eludant. Nihil enim magis cogitationes excludit inutiles vel compescit lascivias, quam meditatio verbi Dei, quod sic ad animum suum virgo debet assuescere, ut aliud nolens, non possit aliud meditari. Cogitanti de Scripturis somnus obrepat, Evigilanti primum aliquid de Scripturis occurrat, Dormientis somnia memoria aliqua de Scripturis sententia condat.

CAPUT XXX. — *Contra eos qui rigorem abstinentiæ non amplectuntur, ne corporis languorem incurrant.*

Sed quidam a salutaribus exercitiis retrahuntur timore, ne videlicet propter nimiam abstinentiam vel vigiliis immoderatas incidant in languorem, et ita efficiantur aliis oneri, sibi autem dolori: hæc excusatio nostra in peccatis nostris. Quam pauci sunt hodie quos talis fervor ignivit! Omnes sapientes sumus, omnes providi, omnes discreti: procul oderamus bellum, et sic morbum corporis antequam sentiatur, formidamus; ut languorem animæ quem præsentem sentimus, terribili negligamus, quasi tolerabilius sit flammam libidinis, quam ventris tolerare rugitum; aut multo melius sit continuo languore carnis vitare lasciviam, quam sanum et incolumem in ejus redigi servitutem. Quid enim interest utrum abstinentia, an languore caro superbiens comprimatur, castitas conservetur? Sed remissio, inquit, cavenda est, ne forte occasione infirmitatis incurramus illecebras voluptatis. Certe si languet, si ægrotat, si torquentur viscera, si arescit stomachus, quælibet deliciæ oneri magis erunt quam delectationi.

CAPUT XXXI. — *De adolescente resipiscente et Christum hora mortis vidente.*

Vidi hominem, qui cum pœnitentia sua, vi consuetudinis oppressus, continere non posset; tandem in se reversus supra modum erubuit: et mox concaluit cor ejus intra eum, et in meditatione ejus exarsit ignis. Deinde salubriter irascens sibi, invectione gravissima irruit in se ipsum, et bellum indicens corpori, etiam ei quæ necessaria videbantur, ademit. Successit gravitas levitati, loquacitati silentium. Nemo eum postea vidit jocantem, ridentem nemo conspexit, nemo ex ore ejus otiosum sermonem audivit. Temporales consolationes, et quidquid carni suave putabatur, ita contempsit et exhorruit, ut nullam sibi requiem, nullam in cibo vel potu consolationem indulgere ei pateretur. Cogitationum suarum ita sollicitus et scrupulosus erat, ut in hoc solo nimius videretur. Ita demisso vultu oculisque dejectis stabat, sedebat, ut timens et tremens divinis tribunalibus videretur assistere. Talibus armis gloriosum retulit de tyranno triumphum. Nam gravissimum stomachi incurrens incommodum post diuturnum languorem, cum jam dormitionis ejus hora instaret; Sine, inquit, ecce Jesus venit.

CAPUT XXXII. — *Vera discretio, carni animam præponere.*

Hæc dico ut discretionem, quæ omnium virtutum et mater et nutrix est, detegam: sed vitiorum materias gulam comprimamus, requiem corporis, feminarum et effeminatorum familiaritatem atque convictum intra metas necessarias cohibeamus; quia sæpe false nomine discretionis palliamus negotium voluptatis. Vera enim discretio est animam carni præponere, et ubi periclitatur utraque, nec sine hujusmodi incommodo illi potest salus consistere, pro illius utilitate istam negligere. Hæc diximus ut quanta tibi debeat in consideranda pudicitia esse sollicitudo, adverteres. Quæ cum omnium virtutum flos sit et ornamentum, sine humilitate tamen aret atque marcescit.

CAPUT XXXIII. — *De superbia et ejus speciebus.*

Hoc est certum haud securum peccatorum omnium fundamentum, ex quo quidquid ædificas, ruinæ patet. Initium omnis peccati superbia, quæ angelum de cœlo, hominem de paradiso expulit. Hujus pessimæ cum multi sint rami; omnes tamen in duas species dividuntur, in carnalem scilicet et spiritualem. Carnalis superbia est de carnalibus, spiritualis est de spiritualibus superbire. Carnalis postea in duas subdividitur species: in jactantiam scilicet, et vanitatem. Vanitas est, si ancilla Christi intus in animo suo gloriatur se nobilibus ortam natalibus; si se divitiis paupertatem prætulisse pro Christo delectetur; si se pauperioribus in ignobilioribus præferre conetur; si se contempsisse divitum nuptias, quasi aliquid magnum admiretur.

CAPUT XXXIV. — *De quadam specie vanitatis in cellulæ oratorique ornamentis.*

Est etiam quædam species vanitatis in affectata aliqua pulchritudine, etiam intra cellulam delectari; parietes variis picturis et celaturis ornare; oratorium pannorum et imaginum varietate decorare. Hæc omnia quasi professioni tuæ contraria cave.

CAPUT XXXV. — *Rursus de quadam inani gloria.*

Qua enim fronte de divitiis vel natalibus gloriaris, quæ illius vis sponsa videri, qui pauper factus est, cum esset dives, pauperem matrem, pauperem familiam, domum etiam pauperulam et præsepium vilitatem elegit? Itane gloriandum tibi est, quod Dei Filium hominum filiis prætulisti, quod scædam carnem pro virginitatis decore sprevisisti, quod æternas cœli divitias atque delicias martyriis sanctorum commutasti?

CAPUT XXXVI. — *De ornamentis virtutum præferendis.*

Si gloriaris in Domino, servias ei cum timore. Sed illam te noli quasi sub specie devotionis sequi gloriam in picturis, vel sculpturis, in pennis avium, vel bestiarum aut diversorum florum imaginibus variatis. Sint hæc illorum, qui nihil intus, in quo gloriantur, habentes, exterius sibi comparant, in quibus delectentur. *Omnis gloria ejus f. i. æ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Si autem tu jam filia regis es, utpote filii regis sponsa, Patrisque vocem audisti, dicentis, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam (Psalm. xlv, 14, 15, 11)*; sit tua omnis gloria ab intus, vide ut gloria tua sit testimonium conscientiæ tuæ. Ibi sit pulcherrima virtutum varietas. Ibi diversi colores sic conveniant, et sic jungantur sibi, ut alterius pulchritudinem alter augeat; et qui in sua natura minus lucet, alterius collatione lucidior appareat.

CAPUT XXXVII. — *Persequitur de virtutum ornamentis.*

Jungatur castitati humilitas, et nihil erit splendidus. Prudentiæ societur simplicitas, et nihil erit lucidius. Copuletur misericordia justitiæ, et nihil erit suavius. Adde fortitudini modestiam, et nihil erit utilius. In hac varietate tuæ mentis oculos occupa. Hanc in anima tua omni studio forma: cui si fimbrias aureas addas, vestem polymitam, in qua te sponsus cum summa dilectione conspiciat, texuisti: fimbria extrema pars, quasi finis est vestimenti; *Finis autem præcepti charitas est de corde puro, et conscientia bona,*

et fide non facta (Tim. 1, 5).

CAPUT XXXVIII. — *Ex lini, quo altare ornatur, consideratione quomodo mores instituendi.*

In his gloriaris, in his delecteris; intus, non foris; in veris virtutibus, non in picturis et imaginibus. Panni linei candidi tuum adornent altare, qui castitatem suo candore commendent, et simplicitatem præmonstrent. Cogita quo labore, quibus tonsionibus terrenum, in quo crevit, linum colorem exuerit, et ad talem candorem pervenerit, ut ex eo ornatur altare, Christi corpus veletur. Cum terreno colore omnes nascimur: quoniam *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (Psal. 1, 7). Primum igitur, charissima, linum aquis immergitur: nos in aquis Baptismatis Christo consepelimur; ibi deletur iniquitas, sed necdum sanatur infirmitas. Aliquid candoris recepimus in peccatorum remissione; sed necdum plene terreno colore exuimur pro naturæ, quæ restat, corruptione. Post aquas linum siccatur: quia necesse est, post aquas Baptismatis corpus per abstinentiam maceratum illicitis honoribus vacuetur. Deinde linum malleis tunditur, et caro nostra multis tentationibus fatigatur. Post hoc linum ferreis aculeis discerpitur, ut deponat superflua: et nos disciplinæ unguis rasi vix necessaria retinemus. Adhibetur post hoc lino suavior stimulorum leviorque purgatio: et nos victis cum magno labore pessimis passionibus, a levioribus et quotidianis peccatis simplici confessione et satisfactione mundamur. Jam tunc amentibus linum in longum producit: et nos in anteriora longanimitate extendimur. Porro ut ei perfectior accedat perfectio et pulchritudo, ignis adhibetur et aqua: et nobis transeundum est per ignem tribulationis, et aquam compunctionis, ut perveniamus ad refrigerium castitatis. Hæc tibi oratorii tui ornamenta repræsentent, non oculos tuos varietatibus mentis pascant.

CAPUT XXXIX. — *Imago Crucifixi, et assistentis hinc inde Mariæ ac Joannis sat esse debet in sanctimonialium oratorio.*

Sufficiat tibi in altari tuo Salvatoris in cruce pendens imago, quæ passionem suam tibi repræsentet, quam imiteris; expansis brachiis ad suos te invitet amplexus in quibus delecteris; nudatis uberibus lac suavitatis infundat, quo consoleris. Et si hoc placet, ad commendandam tibi virginitatis excellentiam, virgo mater in sua, et virgo discipulus in sua, juxta crucem curventur imagine; ut cogites quam grata sit Christo utriusque sexus virginitas, quam in matre et præ cæteris sibi dilecto discipulo consecravit. Unde eos pendens in cruce tanto fœdere copulavit, ut illam discipulo matrem, illum matri filium delegaret. O beatissimum hoc testimonio Joannem cui totius humani generis decus, opes mundi, gloria cœli, miserorum refugium, afflictorum solatium, pauperum consolatio, desperatorum erectio, peccatorum reconciliatio, postremo orbis domina, cœli regina, testamenti auctoritate committitur! Hæc tibi præbeant incentivum charitatis, non spectaculum vanitatis: his enim omnibus ad unum necesse est ut contendas; quoniam unum est necessarium. Illud est unum, quod non invenitur nisi in uno, apud unum, cum uno, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Qui adhæret ei, unus cum eo spiritus efficitur, transit in illud unum, quod semper idem est, et cujus anni non deficient. Adhæsiō ista charitatis quasi specialis est ornatus finis et fimbria.

CAPUT XL. — *De dilectione Dei et proximi, ac primum ut in proximum exercenda a sanctimonialibus.*

Vestis quippe nuptialis ex virtutum varietate contexta, oportet ut fimbriis aureis, id est charitatis splendoribus ambiatur, quæ omnes virtutes contineat, et constringat in unum, et suam singularem claritatem impertiens, de multis unum faciat, et cum multis uni adhæreat; ut jam omnia non sint multa, sed unum. Caritas autem in duo dividitur, in Dei videlicet dilectionem et proximi. Porro dilectio proximi in duo subdividitur, in innocentiam et beneficentiam, videli-

cet ut nulli noceas, beneficias quibus poteris: scriptum est quippe, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (Tob. iv, 16): et hæc innocentia. Et Dominus in Evangelio, *Omnia, inquit, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (Matth. vii, 12): hæc beneficentia. Quantum ad te duo ista pertineant, diligenter adverte. Primum ut nulli noceas; deinde ut nulli velis nocere. Primum illud facile tibi, cum nec id possis nisi forte lingua percusseris: secundum illud, non erit difficile, si propositum attendas tuum; si professam dilexeris nuditatem. Non enim tibi poterit erga aliquam esse malæ voluntatis materia, ubi cupiditas nulla, ubi nihil diligitur, quod possit auferri; nihil tollitur, quod debeat amari. Demum bene velis omnibus, prosis quibus possis. In quo, inquis; cum mihi non liceat vel modicum, quod egenibus tribuam, possidere?

CAPUT XLI. — *De exemplo Mariæ et Marthæ, de qua vita activa et contemplativa.*

Agnosce conditionem tuam, charissima. Duæ sorores erant Martha et Maria: laborabat illa, vacabat ista; illa erogabat, ista petebat; illa præstabat obsequium, ista nutrebat affectum. Denique non ambulans, vel discurrens huc atque illuc, non de suscipiendis hospitibus sollicita, non cura rei familiaris distenta, non pauperum clamoribus intenta sedebat ad pedes Jesu, et audiebat verbum illius. Hæc pars tua, charissima, quæ sæculo mortua atque sepulta, surda debes esse ad omnia sæculi blandimenta audienda, ad loquendum muta: nec debes distendi, sed extendi: impleri, non exhauriri. Exsequatur partem suam Martha: quæ licet non negetur bona, Maria tamen melior prædicatur. Numquid invidit Marthæ Maria? illa potius isti. Ita etiam quæquæ optimæ videntur in sæculo, tuam vitam æmulentur, non illarum tu. Ad illos spectat eleemosynarum largitio, quorum est terrena possessio, vel quibus credita est rerum ecclesiasticarum dispensatio.

CAPUT XLII. — *De rerum ecclesiasticarum dispensatione.*

Quæ enim sacrosanctis ecclesiis a fidelibus collata sunt, episcopi, sacerdotes et clerici dispensanda suscipiunt, et non recondenda; non possidenda, sed eroganda. Quidquid habent, pauperum est, viduarum et orphanorum, et eorum qui altari deserviunt, ut de altari vivant. Sed ea quæ in usus servorum Christi monasteriis conferuntur, a certis personis dispensari oportet, ut quod necessitatibus superest fratrum, non includatur marsupiis; sed hospitibus, peregrinis atque pauperibus erogetur.

CAPUT XLIII. — *Claustales non debent pauperum et hospitum cura distendi.*

Et hoc illorum interest, quibus pars est Marthæ commissa, non qui salutari otio vacant cum Maria. Ita claustralibus nulla debet esse pro pauperibus sollicitudo, nulla pro hospitibus suscipiendis distentio; quippe quibus nulla debet esse de crastino cura, nulla cibi vel potus providentia: nutriantur potius in croceis, spiritualibus pascantur. Altius autem hi qui contemptibiles sunt constituti ad judicandum, amplexantur stercora. Ipsi quippe sunt boves, quorum piger stercoribus lapidatur.

CAPUT XLIV. — *Administratio temporalium haud convenit cœnobitis, multoque minus virgini reclusæ.*

Sunt enim quidam, qui circa spiritualia desideria pigri instar populi peccatoris, super manna cœlestis nauseant, videntesque alios circa temporalia occupatos, invident, detrahunt, murmurant, et pro stercoribus, quibus ipsi fœdantur, zeli et amaritudinis stimulos ferunt: de quibus si forte aliquam temporalium dispensationem fuerint adepti, convenienter dici potest: *Qui nutriti erant in croceis, amplexati sunt stercora* (Thren. iv, 5). Cum igitur nec illis, qui in cœnobitis sunt, quibus in Martha non parva communio est, circa plurima occupari conceditur; quanto minus tibi, quæ te totam de sæculo exuisti, cui non solum

possidere, sed nec videre, nec audire licet quæ sæculi sunt.

CAPUT XLV. — *Ut sanctimonialis debet si quid sibi superest, erogare.*

Si enim nihil tibi quisquam det ad erogandum, unde habebis quod eroges? si vero ex tuo aliquid habes labore, da non tua, sed alterius manu; si abunde tibi provenit victus. Unde tibi aliena distribuere, cum nihil tibi supra necessarium liceat usurpare? Quid ergo beneficii impendes proximo? Nihil ditius bona voluntate, ut ait quidam sanctus: hanc largire. Quid humanius pietate? hanc impende. Quid utilius oratione? hanc largire,

CAPUT XLVI. — *Quod eleemosynæ genus a monialibus impendi decet.*

Itaque totum mundum uno dilectionis sinu complectere, ubi simul omnes, qui boni sunt, considera, congratulare: ubi mali, intueri et luge. Ibi occurrant animo miseria pauperum, orphanorum gemitus, viduarum desolatio, tristium mœstitudo, necessitates peregrinantium, pericula navigantium, vota virginum, tentationes monachorum, praelatorum sollicitudo, labor militantium. Omnibus pectus tuæ dilectionis aperias: his tuas impende lacrymas, pro his tuas preces fundas. Hæc eleemosyna Deo gratiosior. Christo acceptior, tuæ professioni aptior, his quibus impenditur fructuosior. Hujus munus beneficii tuum propositum adjuvat, non perturbat dilectionem proximi; auget, non minuit; mentis quietem servat, non impedit. Quod nihil est appetendum, ut habeatur ad largiendum; cum nihil habere sit perfectum. Quid his plura dicamus? Cum sancti, ut perfecte possunt proximos diligere, studuerunt in hoc mundo nihil habere, nihil vel sine appetitu possidere. Agnoscis verba beati Gregorii. Vide quam contra multi sapiunt: ut enim charitatis impleant legem, quærunt ut habeant quod erogent; cum ejus perfectionem ipsis adscribat, qui nihil habendum, nihil vel sine appetitu possidendum arbitrantur.

CAPUT XLVII. — *De dilectione Dei concitanda in meditatione mysteriorum Christi.*

His de proximi dilectione præmissis, de dilectione Dei pauca subjungam (a). Nam licet utraque soror Deum proximumque dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha, ex divinæ vero lectionis fonte hauriebat Maria. Ad Dei vero dilectionem duo pertinent, affectus mentis, et effectus operis. Et opus hoc in virtutum exercitio; affectus vero mentis in spiritualis gustus dulcedine, Exercitium virtutum in certo vivendi modo, in jejuniis, in vigiliis, in opere, in dilectione, in oratione, in paupertate et cæteris hujusmodi commendatur; affectus salutari meditatione nutritur. Itaque ut ille dulcissimus amor Jesu in tuo crescat affectu, triplici meditatione opus habes: de præteritis scilicet, præsentibus et futuris, id est de præteritorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cum igitur mens tua fuerit ab omni cogitationum sorde virtutum exercitio purgata jam oculos defæcatos ad posteriora retorque. Ac primum cum beata Maria ingressa cubiculum, libros quibus Virginis partus cum Christi prophetatur adventu, evolve. Ibi adventum Angeli præstolare, ut videas intrantem, audias salutantem: et sicut repleta stupore et ecstasi dulcissimam dominam tuam cum Angelo salutante salutes, clama dicens, *Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus* (Luc. 1, 28). Hoc plenius repetens, quæ sit hæc gratiæ plenitudo, de qua totus mundus gratiam mutuavit, quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis* (Joan. 1, 14), contemplare, et admirare Dominum, qui terram implet et cælum, intra unius puellæ viscera

¹ Apud Anselm., fuerit absque cogitationum tumultu.

(a) Reliqua pars hujus libri est inter opera S. Anselmi Meditatio xv-xvii.

claudi, quam Pater sanctificavit, Filius fecundavit, obumbravit Spiritus sanctus. O dulcis domina, quanta inebriabar dulcedine, quo amoris igne succenderis, cum sentires in mente et ventre tantæ majestatis præsentiam; cum de tua carne sibi carnem assumeret, et membra quibus corporaliter omnis plenitudo divinitatis habitaret, e tuis sibi membris aptaret! Hæc omnia propter te, virgo, ut Virginem, quam imitari proposuisti, diligas, et Virginis fructum¹, cui nupsisti. Jam nunc cum dulcissima domina tua in montana conscende, et sterilis et virginis suavem intueri complexum; et salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco judicem, vox Verbum, intus anilia viscera conclusus in virginis utero clausum agnovit, et indicibili gaudio salutavit. Beati ventres in totius mundi salus exoritur, pulsisque tenebris tristitiæ, sempiterna lætitia prophetatur. Quid agis, o virgo? Accurre, quæso, accurre, et tantis gaudiis admisce-re, prosternere ad pedes utriusque, et in unius ventre sponsum tuum amplectere, amicum vero ejus in alterius utero venerare. Hunc enim in Bethleem cum omni devotione prosequere, et in hospitium divertens, cum illa assiste, et obsequere parienti; locatoque in præsepio parvulo, erumpe in vocem exultationis, clamans cum Isaia: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (Isai. ix, 6). Amplectere dulce illud præsepium. Vincat verecundiam amor, timorem depellat affectus, ut sacratissimis pedibus figas labia, et oscula gemines². Exinde pastorum excubias mente pertracta, Angelorum exercitum admirare, cœlesti melodiæ tuas interpone partes, corde simul et ore decanta: *Gloria in excelsis Deo* (Luc. ii, 14).

CAPUT XLVIII. — *De Magorum adoratione, fuga Christi in Ægyptum, et de latrone ad Christi dextram crucifixo.*

Noli in tua meditatione Magorum munera præterire; nec fugientem in Ægyptum incommittatum relinque³. Opinare verum esse quod dicitur, eum a latronibus deprehensum in via, et adolescentuli cujusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potitus, cum parvulum in matris gremio comperisset, tanta ei in ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit, ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore amplexatus sit eum. Et, o, inquit, beatissime parvulorum! si aliquando se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, et hujus temporis noli oblivisci. Ferunt hunc esse latronem, qui ad Christi dexteram crucifixus, cum alterum blasphemantem corripuisset, dicens, *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna damna factis recipimus: hic autem nihil mali fecit: conversus ad Dominum eum in illa quæ in puerulo apparuerat, intuens majestate, pacti sui non immemor, Memento, inquit, mei cum veneris in regnum tuum* (Luc. xxiii, 40-42). Itaque ad incentivum amoris, non inutile arbitror hac uti opinione, remota omni affirmandi temeritate.

CAPUT XLIX. — *De contemplatione Christi pueri.*

Præterea nihilne tibi suavitatis æstimas accessurum, si eum apud Nazareth puerum inter pueros contempleris? si obsequentem matri, si operanti nutritio assistentem intuearis? Quid si duodennum cum parentibus Jerosolymam ascendentem, et illis redeuntibus et nescientibus in urbe remanentem per triduum cum matre quæsieris? O quanta copia fluent lacrymæ, cum audieris matrem dulci quadam increpatione filium verberantem, *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebatimus te* (Id. ii, 48).

CAPUT L. — *De consideratione baptismi, jejunii et tentationis Christi.*

Si autem virginem⁴ vis sequi quocumque ierit,

¹ Apud Anselm., *Virginis filium.*

² Apud Anselm., *et oscula genibus.* Ac paulo post, *tuas interpone preces.*

³ Apud Anselm. sexdecim circiter lineæ hic loci interponuntur.

⁴ Apud Anselm., *sponsum virginem.*

delectet altiora ejus et secretiora scrutari : ut in Jordanis flumine audias in voce Patrem, in carne Filium, in columba videas Spiritum sanctum. Ibi tu ad spirituales initiata ¹ nuptias sponsum suscipis datum a Patre, purgationem a Filio, pignus amoris a Spiritu sancto. Exinde solitudinis tibi secreta ditavit, sanctificavit jejunium, ibi subeundum docens cum calido hoste conflictum. Hæc tibi facta, et pro te facta, et quomodo facta diligenter attendas. Dilige a quo facta sunt, et imitare quæ facta sunt.

CAPUT LI. — *De Muliere in adulterio deprehensa.*

Occurrit jam nunc memoriæ mulier illa deprehensa in adulterio, et Jesus rogatus sententiam, quid egerit, quidve dixerit recordare. Cum enim scribens in terra terrenos eos, non cælestes, prodidisset ; *Qui sine peccato est*, inquit, *vestrum primum lapidem in illam mittat*. Cum vero omnes sententia tenuisset ² et expulisset de templo, imaginare quam pios oculos in illam levaverit, quam dulcem sua voce sententiam absolutionis ejus protulerit. Puta quod suspiraverit, quod lacrymatus sit, cum diceret, *Nemo te condemnavit, mulier? Nec ego te condemnabo*. Felix, ut ita dicam, hæc, quæ in adulterio deprehensa mulier, quæ etiam de præteritis absolvitur, secunda efficitur de futuris. Jesu bone, te dicente, *non condemnabo*, quis condemnabit? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Audiatur de cætero vox tua : *Vade, et jam amplius noli peccare* (Joan. viii, 7).

CAPUT LII. — *De muliere lacrymis pedes ejus rigante.*

Jam nunc domum ingredi Pharisæi, et recubentem ibi Dominum tuum attende. Accede cum illa beatissima peccatrice ad pedes ejus ; lava lacrymis, terge capillis, demulce oculis, et fove unguentis. Nonne jam sacri illius liquoris odore perfunderis? Si tibi adhuc suos negat pedes, insta, ora, et gravidos lacrymis oculos attolle, imisque suspiriis et inenarrabilibus extorque quod petis. Luctare cum Deo sicut Jacob, ut ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando, quod avertat oculos, quod aures claudat, quod desideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportunè, importunè ; clama, *Usquequo faciem tuam avertis a me? Usquequo clamabo, et non exaudies* (Psal. xii, 1)? Redde mihi, Jesu bone, lætitiâ salutaris tui, quia tibi dixit cor meum : *Quæsi vi faciem tuam, faciem tuam requiram* (Psal. xxvi, 8). Certe non negabit pedes suos virgini, quos osculandos præbuit peccatrici.

CAPUT LIII. — *De paralytico per tegulas invecro et corporaliter spiritualiterque sanato.*

Sed et domum illam non præteribis, ubi per tegulas paralyticus ante pedes ejus submittitur, ubi pietas et potestas obviaverunt sibi. *Fili, inquit, remittuntur tibi peccata tua* (Matth. ix, 2). O mira clementia ! o indicibilis misericordia ! Accepit felix remissionem peccatorum, quam non præcesserat confessio, non meruerat satisfactio, non exigebat contritio. Corporis salutem petebat, non animæ : et salutem recepit corporis et animæ. Vere, Domine, vita in voluntate tua. Si decreveris salvare nos, non est qui audeat dicere, *Cur ita facis? Pharisæe, a te quid murmurat? an oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Certe miseretur cui voluerit ; ploremus et oremus ut velit*. Bonis etiam operibus pinguescat oratio, augeatur devotio, dilectio excitetur. Leventur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculavit, tactus illicitus non fœdavit, non exasperavit avaritia. Levetur et cor sine ira et disceptatione, quod tranquillitas sedavit, pax composuit, puritas conscientie animavit. Sed nihil horum paralyticus iste legitur præmississe, qui tamen legitur remissionem peccatorum meruisse. Hæc est ineffabilis ejus misericordie virtus, cui sicut blasphemum est derogare, ita et hoc sibi præsumere stultissimum. Potest cuicumque vult hoc ipsum efficaci-

¹ Apud Anselm., *invitata*.

² Apud Anselm.: *O mira et inexstinguibilis Christi benignitas ! Quam condemnare juste potuit, adverte quam pie et quam caute liberavit. Cum enim omnes sententia trivisset.*

ter dicere, quod dixit illi paralytico, *Dimittuntur tibi peccata tua*. Sed quicumque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione sibi hoc dicendum exspectat ; nunquam ei remittentur peccata sua.

CAPUT LIV. — *De receptione Christi in domo Martæ et Mariæ.*

Sed exeundum est hinc, et ad Bethaniam veniendum, ubi sacratissima fœdera amicitie auctoritate Domini consecrantur. Diligebat enim Jesus Martam et Mariam, et Lazarum, quod hospitalis amicitie, qua illi familiariori adhærebant affectu, detineri nemo qui ambigat ¹. Testes sunt lacrymæ illæ dulces, quibus lacrymatus est cum lacrymantibus, quas totus populus amoris interpretatur indicium. *Videte*, inquit, *quomodo amabat eum ; et ecce ponunt ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. Lazarus autem erat unus ex discumbentibus. Maria autem snmpsit alabastrum unguenti, et fracto alabastro effudit super caput Jesu* (Joan. xi, 36 ; xii, 2, 3). Gaude, quæso, huic interesse convivio, singulorum distingue officia. Martha ministrat, discumbit Lazarus, ungit Maria. Hoc ultimum tuum est. Frange igitur alabastrum cordis, et quidquid habes devotionis, quidquid amoris, quidquid desiderii, quidquid affectionis, totum effunde super sponsi tui caput, adorans in Deo hominem, et in homine Deum. Si fremit, si murmurat, si invidet, si proditor perditionem vocat devotionem, non sit tibi curæ. *Utquid, ait, perditio hæc? Posset hoc unguentum venundari multo, et dari pauperibus!* Pharisæus murmurat, invidens pœnitenti ; murmurat Judas, invidens effusioni unguenti. Sed iudex accusationem non recipit, accusatam absolvit. *Sinite, inquit, illam. Bonum enim opus operata est in me* (Marc. xiv, 4-6). Laboret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esurienticibus, vestem argenti. Ego solus Mariæ, et illa mihi : totum præstet, quod habet ; a me quidquid optat, exspectet. Quid enim? Tunc Mariæ consulis relinquendos pedes, quos tam dulciter osculatur? avertendos oculos ab illa speciosissima facie quam contemplatur? amovendum auditum ab ejus suavi sermone quo reficitur?

CAPUT LV. — *De ingressu Christi in Jerusalem pueris acclamantibus, HOSANNA, etc.*

Sed jam surgentes eamus hinc. Quo, inquis? Certe ut insidentem asello cœli terræque Dominum comiteris, tanta fieri pro te obstupescens, puerorum laudibus tuas inseras clamans et dicens : *Hosanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini* (Matth. xxi, 9). Jam nunc ascende cum eo in cœnaculum grande stratum, et salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare.

CAPUT LVI. — *De cœna Domini et rebus in ea gestis.*

Vincat verecundiam amor, timorem excludat affectus : ut saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicanti. Vel a longe sta, et quasi pauper intendens in divitem, ut aliquid accipias extende manum, famem lacrymis prode. Cum jam surgens a cœna linteo se præcinxit, posuitque aquam in pelvim, cogita quæ majestas, quæ potestas hominum pedes abluit et extergit : quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta et exspecta, et ultima omnium tuos ei præbe abluendos : quia quem ipse non lavit, non habebit partem cum eo. Quid modo festinas exire? Sustine paululum. Videsne quisnam ille est, rogo te, qui supra pectus ejus recumbit, et in sinu ejus caput reclinat? Felix quicumque ille est. O ecce video, Joannes est nomen ejus. O Joannes, quid ibi dulcedinis, quid gratiæ et suavitatis, quid luminis et devotionis ab illo hauriam fonte, dicito. Ibi certe omnes thesauri sapientiæ et scientiæ ; ibi fons misericordie, domicilium pietatis, et favus æternæ suavitatis. Unde tibi, o Joannes omnia ista? Numquid tu sublimior Pe-

¹ Apud Anselm., *quod ad speciale amicitie privilegium quo illi... dictum nemo est qui ambigat.*

tro, Andrea sanctior, cæteris omnibus Apostolis gratior? Speciale hoc virginitatis privilegium, quia virgo es electus a Domino, antequam ires cum matre dilectus¹. Jam misericordiæ exulta, virgo, accede propius, et aliquam tibi hujus dulcedinis portionem vindicare non differas. Si ad potiora non potes, dimitte Joanni pectus, ubi eum vinum lætitiæ in divinitatis cognitione inebriet: tu currens ad ubera humanitatis, lac exprime, quo nutriaris. Inter hæc sacratissima illa oratione discipulos commendans Patri dixerit, *Pater, serva eos in nomine tuo*; inclina tuum caput, ut et tu merearis audire, *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (Joan. xvii, 11, 24).

CAPUT LVII. — *De Christi agonia in monte Oliveti*

Bonum est tibi hic esse. Sed exeundum est, præcedit ipse ad montem Oliveti, tu sequere. Et licet assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi ad secreta secesserit; vel a longe intueri, quomodo in se nostram transulit necessitatem. Vide quomodo ille, cujus sunt omnia, pavere incipit et tædere, *Tristis est anima mea, inquam, usque ad mortem* (Matth. xxvi, 38). Unde hoc, Deus meus? Compateris mihi exhibens hominem, ut quodammodo videaris nescire quod Deus es: prostratus in faciem oras, et factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (Luc. xxii, 44). Quid stas? accurre, et suavissimas illas guttas lambe, et pulverem pedum illius linge. Noli dormire cum Petro; ne merearis audire, *Sic non potuisti una hora vigilare mecum* (Matth. xxvi, 40)?

CAPUT LVIII. — *De Christi traditione.*

Sed ecce jam proditorem præeuntem impiorum turba subsequitur, et osculum præbente Juda, manus injiciunt in Dominum tuum, tenent, ligant, et illas dulces manus vinculis astringunt. Quis ferat? Scio, occupat nunc cor tuum pietas, omnia viscera tua zelus inflamat. Sine, rogo, patiat qui pro te patitur. Quid optas gladium? Quid irascaris? Quid indignaris? Si instar Petri cujuslibet aurem abscideris, si ferro brachium tuleris, si pedem truncaveris, ipse restituet omnia; qui etiam si quem occideris absque dubio suscitabit.

CAPUT LIX. — *De injuriis Christo apud principem sacerdotum et apud Pilatum illatis.*

Sequere potius eum usque ad atrium principis sacerdotum, et speciosissimam ejus faciem, quam illi sputis illinunt, tu lacrymis lava. Intuere quam piis oculis, quam misericorditer, quam efficaciter tertio negantem respexit Petrum, quando ille conversus et in se reversus flevit amare. Utinam, bone Jesu, tuus me dulcis respiciat oculus, qui te toties ad vocem ancillæ procacis, carnis meæ pessimis operibus affectibusque negavi. Sed jam mane facto traditur Pilato. Ibi accusatur, et tacet: quoniam *tanquam ovis ad occisionem ducitur, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum* (Isai. liii, 7; Act. viii, 32). Vide, attende quomodo stat ante præsidem, inclinato capite, demissis oculis, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promptus etiam ad verbera. Scio, non potes ulterius sustinere, nec dulcissimum dorsum ejus flagellis atteri, nec faciem alapis cædi, nec venerandum illud caput spinis coronari, nec dexteram, quæ cælum et terram continet, arundine dehonoriari, tuis oculis aspicere poteris. Ecce educitur flagellatus, portans spineam coronam, et purpureum vestimentum. Et dicit Pilatus, *Ecce homo* (Joan. xix, 5): vere homo est, quis dubitet? Testes sunt plagæ virgarum, livor ulcerum, fæditas sputorum. Jam nunc cognosco, Zabule, quia est homo. Vere homo est, inquis. Sed quid est, quod in tot injuriis non irascitur ut homo, non movetur ut homo, non suis tortoribus indignatur ut homo? Ergo plus est quam homo. Sed quis cognoscit illum? Cognoscitur certe homo impiorum judicia sustinens: sed cognoscetur Deus judicium faciens.

CAPUT LX. — *De passione Christi, et deceptione diaboli.*

Sero animadvertisti, Zabule. Quid tibi per mulierem

¹ Apud Anselm., atque inter cæteros magis dilectus.

visum est agere, ut dimittatur? Tarde locutus es. Sedet pro tribunali iudex: prolata est sententia: jam portat propriam crucem; ducitur ad mortem. O spectaculum! Videsne? *Ecce principatus super humerum ejus* (Isai. ix, 6). Hæc est virga æquitatis, virga regni sui. Datur ei vinum felle mixtum. Exiit vestimentis suis, et inter milites dividuntur. Tunica non scinditur: sed sorte transit ad unum. Dulces manus ejus et pedes clavis perforantur, et extensus in cruce inter latrones suspenditur.

CAPUT LXI. — *De Christo in cruce.*

Mediator Dei et hominum, inter cælum et terram medius pendens, ima superis unit, et cælestibus terrena conjungit. Stupet cælum, et terra miratur; quid tu? Non mirum si sole contristato, tu contristaris; si terra tremiscente, tu contremiscis; si scissis saxis, cor tuum scinditur; si flentibus juxta crucem mulieribus, tu collacrymaris.

CAPUT LXII. — *De mira Christi patientia in cruce.*

Verum in his omnibus considera illud dulcissimum pectus, quam tranquillitatem servaverit, quam habuerit pietatem. Non suam attendit injuriam, non pœnam reputat, non sentit contumelias. Sed illis potius a quibus patitur, ille compatitur; a quibus vulneratur, ille medetur; vitam procurat, a quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus devotione, in qua charitatis plenitudine, clamat, *Pater, ignosce illis* (Luc. xxiii, 34)!

CAUT LXII. — *Virgo propior adstat cruci.*

Ecce ego, Domine, tuæ majestatis adorator, non tui corporis intersector; tuæ mortis venerator, non tuæ passionis irrisor; tuæ misericordiæ contemplator, non infirmitatis contemptor. Interpellet itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet me Patri tua ineffabilis pietas. Dic ergo, dulcis Domine, *Pater, ignosce illi*. At tu, virgo, cui major est apud Virginis Filium confidentia quam mulieribus, quæ longe stant, cum matre virgine et discipulo virgine accede ad crucem, et perfusum pallore vultum cominus intueri. Quid ergo? Tu sine lacrymis, amantissimæ dominæ lacrymas videbis? Tu siccis oculis manes, et ejus animam pertransiit gladius doloris? Tu sine singultu audies dicentem matri: *Mulier, ecce filius tuus*; et Joanni: *Ecce mater tua* (Joan. xix, 26, 27)? Cum discipulo matrem committeret, latroni paradisum promitteret; tunc *unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua* (Ibid. 34). Festina, ne tardaveris, comede favum cum melle tuo. Bibe vinum tuum cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum vertitur, ut inebrieris; in lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta sunt tibi in petra flumina, in membris ejus vulnera, et in maceria corporis ejus caverna, in quibus instar columbæ latitas, et deoscularis singula. Ex sanguine ejus fiant sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.

CAPUT LXIV. — *De decurione.*

Sed adhuc exspecta donec nobilis ille decurio veniens, extractis clavis manus pedesque dissolvat. Vide quomodo felicissimis brachiis corpus complectitur, ac suo astringit pectori. Tuuc dicere potuit vir ille sanctissimus: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera commorabitur* (Cant. i, 12). Sequere tu pretiosissimum illum cæli terræque thesaurum, vel pedes porta; vel manus brachiaque sustenta; vel certe defluentes minutatim pretiosissimi sanguinis stillas curiosius collige, et pedum illius pulverem linge. Cerne præterea quod dulciter beatissimus Nicodemus sacratissima ejus vulnera tractavit digitis, fovit unguentis, et cum sancto Joseph involvit sindone, collocavit in sepulcro.

CAPUT LXV. — *De Magdalena sepulcrum visitante.*

Noli præterea Magdalensæ deserere comitatum: sed paratis aromatibus, cum ea Domini tui sepulcrum visitare memento. O si quod illa oculis, tu in spiritu cernere merearis, nunc super lapidem revolutum ab ostio monumenti angelum residentem, nunc intra monumentum unum ad caput, alium ad pedes resurrectionis gloriam prædicantes, nunc ipsum Jesum Mariam

flentem, et tristem tam dulci respicientem oculo, tam suavi voce dicentem, *Maria*. Quid hac voce dulcius, quid suavius, quid jucundius, *Maria*? Rumpuntur ad hanc vocem omnes capitis cataractæ, ab ipsis medullis eliciuntur lacrymæ, singultus atque suspiria ab imis trahuntur visceribus. *Maria*. O beata! quid tibi pro meritis fuit, quid animi, cum ad hanc vocem te prosterneres, et reddens vocem salutanti inclamares, *Rabboni*? Quo, rogo, affectu, quo desiderio, mentisque ardore clamasti, *Rabboni*? Nam plura dicere lacrymæ prohibent, cum vocem occludat affectus, omnesque animæ corporisque sensus, nimius ardor absorbeat. Sed, o dulcis Jesu, cur a sacratissimis ac desideratissimis pedibus tuis sic arces amantem? O verbum durum! *Noli*, inquit, *me tangere* (*Joan. xx, 16, 17*). Utquid, Domine? Quare non tangam desiderata illa vestigia tua pro me perforata clavis, perfusa sanguine? Non tangam, non deosculabor? An inimicior es eo, quia gloriosior? Ecce, non dimittam te, non recedam a te, non parcam lacrymis, pectus singultibus suspiriisque rumpetur, nisi tangam. Et ille: *Noli me tangere*. *Noli* timere; non aufertur tibi bonum hoc, sed differtur: vade tamen, et nuntia fratribus meis quia surrexi. Currit cito volens redire. Redit cum aliis mulieribus. Quibus Jesus occurrens blanda salutatione, dejectas sic erigit, tristes consolatur. Adverte. Tunc est datum, quod ante fuit dilatum. Accesserunt enim et tenuerunt pedes ejus. Hic quamdiu potes, virgo, morare. Non has delicias tuas somnus interpolet, nullus exterior tumultus impediatur.

CAPUT LXVI. — *De mundi et rerum præsentium contemptu.*

Verum quia in hac misera vita nihil stabile, nihil æternum est, nunquam in eodem statu permanet homo; necesse est, ut anima nostra, dum vivimus, quadam varietate pascatur. Unde a præteritorum recordatione ad experientiam præsentium transeamus, ut ex his quoque quantum a nobis sit Deus diligendus, omnes intelligere valeamus. Hæc omnia revolve animo, ut in eum totus tuus resolvatur affectus. Vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis sordescat. Nescias te esse in hoc mundo, quæ ad illos, qui in cælis sunt et Deo vivunt, tuum amorem transtulisti. Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. *Noli* cum argenteis simulacris vili marsupio tuum includere animum, qui nunquam cum nummorum pondere poterit transvolare ad cælum: puta te quotidie moriturum, et de crastino non cogitabis. Non te futuri temporis sterilitas terreat, non futuræ famis timor tuam mentem dejiciat. Sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aves pascit et lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse apotheca, ipse marsupium, ipse divitiarum tuarum, ipse solus sit tibi omnia in omnibus. Et hæc interim de præsentibus satis sint.

CAPUT LXVII. — *Mors a sanctis desideratur.*

Qui autem tanta suis præstat in præsentibus, quanta illis servat in futuro? Principium futurorum, et finis præsentium mors. Hanc cujus natura non horret? cujus non expavescit affectus? Nam bestiarum fuga, latibulis, et aliis mille modis mortem cavent, et vitam tenent. Jam nunc diligenter attende, quid tua tibi respondeat conscientia, quid præsumat fides tua, quid spes promittat, quid expectet affectus. Si vita tua tibi oneri est, si mundus fastidio, si caro dolori; profecto desiderio mors est tibi, quæ jugum hujus oneris deponit, tollit fastidium, corporeos dolores absumit. Hoc unum dico omnibus mundi hujus præstare deliciis, honoribus atque divitiis, si ob conscientiarum serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. Quod ille maxime poterit experiri, qui aliquo tempore sub hac servitute suspirans, in liberioris conscientiarum auras evasit. Hæc sunt futuræ beatitudinis tuæ primitiæ salutares, ut morte superveniente naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientia securam repellat.

CAPUT LXVIII. — *Mors justo felicitatis principium est.*

Et vide quomodo mors beatitudinis principium est,

laborum meta, peremptoria vitiorum. Sic enim scriptum est: *Beati mortui, qui in Domino mori amodo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc. xiv, 13*). Unde propheta reprobis ab electorum morte discernens, *Omnes inquit, dormient in gloria in domo sua: tu autem proice de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus et lutus* (*Isai. xiv, 18 19*).

CAPUT LXIX. — *De animæ e corpore exeuntis vel supplicio.*

Dormiunt quippe in gloria quorum mortem commendat conscientia. Quoniam pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Dormit in gloria, cujus dormitioni assistunt Angeli, occurrunt sancti et concives, suum præbentes auxilium, et pertinentes solatium, hostibusse opponunt, obsistere repellunt, refellunt accusantes: et sic usque ad numerum Abraham sanctam animam comitantes in locis collocant et quietis. Non sic impii, quos de corpore, quasi de foetenti sepulcro, pessimi spiritus instrumentis infernalibus extrahentes pollutos, obvolutos cupiditate, injiciunt ignibus erudos, tradunt vermibus lacerandos, æternis sæculo deputant suffocandos. Vere *expectatio justorum vita; spes autem impiorum peribit* (*Prov. x, 28*).

CAPUT LXX. — *De requie æterna et gloria sancti.*

Sane qualis sit illa requies, quæ pax illa, quæ cunctis de sinu Abraham, quæ illic quiescere promittitur, et expectatur, quia experientia non docuit, stilus explicare non poterit. Expectant fructum donec impleatur numerus fratrum suorum; ut resurrectionis duplici stola induti, corporis partem animæ perpetua felicitate fruantur.

CAPUT LXXI. — *De extremi judicii die.*

Jam nunc intueri diei illius terrorem, quando tutes cælorum movebuntur, elementa ignis solventur, patebunt inferi, occulta omnia nudabuntur. Veniet desuper iudex iratus, ardens furor ejus, tempestas currus ejus, ut reddat in ira vindictam vastationem in flamma ignis. Beatus qui parat occurrere illi. Quid tunc miseris animis erit? tunc miseri erunt, quos nunc luxuria fœdat, et dissipat, extollit superbia! Exhibunt Angeli, et sunt malos de medio justorum, istos a dextris, a sinistris statuentes. Cogita nunc te ante tribunal utramque hanc societatem assistere, et in partem alteram separatam. Deflecte nunc oculos sinistram Judicis, et miseram illam multitudine spectata.

CAPUT LXXII. — *De confusione et pena malorum.*

Qualis ibi horror? quis timor? quis fœtor? quæ dolor? Stant miseri, et infelices stridentes denudato latere palpitantes, aspectu horribiles, vultus deformes, dejecti præ pudore; præ corporis turpitudine et nuditate confusi latere volunt, et non datæ genere tentant, et non permittuntur. Si levant oculos desuper iudicis imminet furor; si deponunt, in illis puteis ingeritur horror. Non suppetit excusatio, nec de iniquo iudicio aliqua poterit causatio: cum quidquid decretum fuerit, justum ipsam eorum conscientiam non latebit.

CAPUT LXXIII. — *Amor Deo rependendus pro destinationis gratia.*

Cerne nunc quam amandus sit, qui te ab humana societate prædestinando discernit, vocat paravit, justificando purgavit. Retorque nunc a teram oculos, et quibus te glorificando sit inseparabiliter adverte.

CAPUT. — *De gloria bonorum.*

Quis ibi decor? quis honor? quæ felicitas? quæ securitas? Alii diei iudicaria sede sublimes, alii virginitatis flore coronati splendentes, alii virginum flore candidi, alii eleemosynarum largitione fecundi, alii doctrina et eruditione præclari, uno charitatis fœdere coartur. Lucet eis vultus Jesu Christi non terribili amabilis; non amarus, sed dulcis; non terrore blandiens.

CAPUT LXXV. — *Ex sola Dei gratia salvandis accensemur.*

Sta nunc in medio, nesciens quibus te iudicis sententia deputabit. O dura exspectatio! *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (Psal. LIV, 6). Si me sinistris sociaverit, non causabor injustum: si dextris adscripserit, gratiæ ejus hoc, non meis meritis est imputandum. Vere, Domine, vita in voluntate tua. Vides ergo quantum in amore ejus tuus extendi debeat animus, qui cum juste posset in impios prolatam, in te quoque retorquere sententiam, justis te maluit ac salvandis inserere. Jam te puta sanctæ illi societati conjunctam vocis illius audire decretum: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Miseris audientibus verbum durum, plenum iræ et furoris: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Tunc ibunt hi in supplicium æternum; justis autem in vitam æternam* (Matth. xxv, 34, 41, 46). O dura separatio! o miserabilis conditio!

CAPUT LXXVI. — *De regno Dei post iudicium.*

Sublatis vero impiis ne videant gloriam Dei justis quoque singulis secundum gradum suum et meritum angelicis ordinibus insertis, fiet illa gloriosa processio, Christo præcedente capite nostro, omnibus membris suis sequentibus; et tradetur regnum Deo et Patri, ut ipse regnet in ipsis, et ipsi regnent cum eo, illud percipientes regnum, quod paratum est illis ab origine mundi.

CAPUT LXXVII. — *De regni Dei felicitate.*

Cujus regni status nec cogitari quidem potest a nobis, multo minus dici vel scribi. Hoc sciendum, quod omnino nihil aberit, quod velis adesse; nec quidquam aderit, quod velis abesse. Nullus igitur ibi luctus, fletus nullus, non timor, non dolor, non diffidentia, non invidia, non tribulatio, non tentatio, non aeris mutatio vel corruptio, non suspicio, non ambitio, non adulatio, non detractio, non ægritudo, non senectus, non mors, non paupertas, neque tenebræ, non edendi vel bibendi vel dormiendi ulla necessitas, nulla fatigatio, defectio nulla. Quid ergo boni ibi est, ubi nec luctus, nec fletus, nec dolor est, neque tristitia? Quid potest esse nisi perfecta lætitia, ubi nulla tribulatio, nulla tentatio, nulla temporum mutatio, vel aeris corruptio, æstus vehementior, nec hiems asperior? Quid potest esse nisi summa quædam rerum temperies, et mentis et carnis vera ac summa tranquillitas? Ubi nihil est, quod timeas, quid potest esse nisi summa securitas? ubi nulla discordia, nulla invidia, nulla suspicio, nulla ambitio, nulla adulatio, detractio nulla; quid potest esse nisi summa et vera dilectio? ubi nulla paupertas, nulla cupiditas; quid potest esse nisi bonorum omnium plenitudo? ubi nulla deformitas; quid potest esse nisi vera pulchritudo? ubi nullus labor vel defectio; quid erit, nisi requies summa et fortitudo? ubi nihil est, quod gravet vel oneret;

quid est nisi summa facilitas? ubi nec senectus exspectatur, nec morbus timetur; quid potest esse nisi vera sanitas? ubi neque nox, neque tenebræ; quid erit nisi lux perfecta? ubi mors, et mortalitas omnis absorpta; quid erit nisi vita æterna? Quid est ultra quod quæramus? Certe quod his omnibus excellit, id est, visio, cognitio, et dilectio Creatoris. Videbitur in se, videbitur in creaturis suis, regens omnia sine sollicitudine, sustinens omnia sine labore, impertiens se, et quodam modo dispertiens singulis pro sua capacitate, sine sui diminutione vel divisione. Videbitur ille vultus amabilis et desiderabilis, in quem desiderant Angeli prospicere, de cujus plenitudine, de cujus lumine, de cujus suavitate quid dicetur. Videbitur Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in utroque. Videbitur non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem. Videbitur enim sicuti est, impleta illa promissione, qua dicit, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (Joan. xiv, 21). Ex hac visione, illa procedit cognitio, de qua ipse ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Id. xvii, 3). Ex his tanta nascitur dilectio, tantus ardor paterni amoris¹, tanta dulcedo charitatis, tanta fervendi copia, tanta desiderii vehementia; ut nec satietas desiderium minuat, nec desiderium satietatem impediatur. Quid est hoc? Certe quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.

CAPUT LXXVIII. — *Epilogus operis.*

Hæc tibi, soror, de beneficiorum præteritorum Christi memoria, de præsentium experientia, de expectatione futurorum quædam meditationum spiritualium semina præseminare curavi, ex quibus divini amoris fructus uberius oriatur et crescat: ut meditatio affectum exercent, affectus desiderium pariat, lacrymas desiderium excitet: ut sint lacrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appareas in conspectu ejus, et suscipiaris ab amplexibus ejus, dicasque illud, quod in Canticis scriptum est: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. i, 12). Habes nunc, sicut petisti, corporales constitutiones, quibus inclusa exterioris hominis mores componas. Habes formam præscriptam, qua interiorem hominem, vel purges a vitiis, vel virtutibus ornes. Habes in triplici meditatione quomodo in te dilectionem excites, nutrias, et accendas.

Versus notabiles.

Dulcia sunt animæ solatia, quæ tibi mando.

Nam prosunt minime, nisi serves hæc operando.

Si quis igitur in hujus libelli locutione² profecerit, hæc labori meo vel studio vicem impendat, ut apud Salvatorem meum quem diligo, apud remuneratorem meum quem exspecto, apud iudicem meum, quem timeo, pro peccatis meis intercedat.

¹ Apud Anselm., *pi amoris*: et mox, *tanta fruendi copia.*

² Sic in B. et Lov.; forte melius diceretur, *lectione.* M.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

EPISTOLA DEDICATORIA.	9-10	rum.	33-34
IN NOVISSIMAM S. AUGUSTINI OPERUM EDITIONEM PRÆFATIO GENERALIS.	13-14	II. Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.	35
IN APPENDICES AUGUSTINIANAS ET ALIA IN HOC VOLUMINE CONTENTA BREVIS PRÆFATIO.	27-28	III. Secensus Augustini. Quidam ab Augustino conversus.	36
VITA POSSIDII.	31-32	IV. Capitur ad presbyterii gradum.	Ibid.
VITA S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, auctore Possidio Calamensi episcopo.	33-34	V. Monasterium instituit. Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se prædicandi verbum Dei.	37
Præfatio.	Ibid.	VI. Conflictus Augustini cum Fortunato Manichæo.	38
CAPUT PRIMUM. Augustini ortus, conversio et baptismus. Ambrosii doctrina revocatur ab errore Manichæo-		VII. Libri et tractatus Augustini contra fidei hostes	